

Christi, fœmineo habitû præditam, de corpore in corpus migrare, deliravit. Nestorio Seculo IV. CHRISTUS itidem nudus erat homo, meritis deinde acqvirens divinitatem inhabitantem, ita tamen, ut nulla invicem naturarum facta sit communicatio. Eodem ferè collimavit Photinus, Marcelli, qui, cum orthodoxiam simularet, ad Sabellianos defecit, sectator, divinam aut quamvis aliam in CHRISTO naturam non concedens, præter eam, quam à Mariâ accepit, nec Spiritui Sancto propriam *ἰσότητι*, quin potius pro nudâ DEI virtute aut operatione venditare maluerit, conflatis Samofatenii & Sabellii erroribus: qualia jam Seculo I. Ebion quoque eructaverat. Sic Manes seipsum Spirit. Sanct. temerè mentiebatur.

§. 3.

Aliâ rem aggressus viâ pessimus hæresiarcha Arius, Seculo etiam III. surgens, & argutans, solum Patrem esse naturâ DEUM & æternum, Filium verò ab eò ante secula creatum, adeo ut aliquandò fuerit tempus, quò nondum fuerit, multistamen parafangis antecellere reliquas creaturas, ut singularem & nobiliorrem, quæ sui similem non habeat, ideòq; nuncupari unigenitum Patris, non naturâ DEUM, sed gratiâ & participatione, inferiorem Patre non honore solùm, verùm etiam potentiâ, nec eodem cultû afficiendum, & licet sit imago essentiæ paternæ, eam tamen non participare æqualiter: fraudem, quò minus pateret imprudentioribus, lusû occultavit Sophisticò, pro Græcâ voce *ὁμοῦσι*, in Scholista tunc usitatâ, substituens *ὁμοιῶσι*, unicâ literulâ, totum tamen sensum depravante, interjectâ; quò factum, ut simplicioribus eò faciliùs imponeret: prætereâ Spiritum Sanctum à Filio creatum extitisse demùm ex non entibus, minorem eò, nec totum Filium capere, quemadmodum nec Filius Patrem. Quod pestilentissimum virus ad instar gangrenæ plurimas infecit ac corripit non modò mentes, sed & gentes. Hujus de Lycæis tanquam ex eqvo Trojano multæ insuper prodiere Sectarum soboles, utpote Semi-Ariani, si Anomæi, sic dicti, quod Filius ipsis esset planè *ἀνόμοιος*; cum alii *ὁμοίσιον* concederent, eundem Patre quidem mino-